

Litterarum. Datum Viennae, die secunda Mensis Junii, Anno Domini Millesimo Quingentesimo Sexagesimo Nono. Regnorum Nostrorum Rom. Septimo, Hungariae etc. Sexto, Bohemiae vero XXI.

Maximilianus m. p.

L. S.

Joannes Listhius, Episcopus Vesprimiensis m. p.

Originale in Archivio Regni Croatiae.

1571. MENSE APRILI. ZAGRABIAE.

Articuli in Diaeta Regni, Anno 1571 mense Aprili Zagrabiae celebrata, conditi.

Articuli Dominorum et Nobilium Aliorumque Statum et Ordinum Regnum Croatiae et Sclavoniae, in Conventu eorum Generali, ex speciali mandato Sacrae Caesareae et Regiae Maiestatis ex Edicto Dominorum Banorum, pro feria quinta proxima ante Dominicam Ramis palmarum, id est quinta die Mensis Aprilis, Anno Domini Millesimo quingentesimo Septuagesimo primo, Zagrabiae Conclusi.

In primis Universi domini Magnates et Nobiles Statusque et Ordines praefatorum Regnum, fideles subditi praefatae Sacrae Caesareae et Regiae Maiestatis, domini Illorum clementissimi, Intellecto felicissimo praedictae Maiestatis suae Imperatoria et Regiae et spe adventus Serenissimorum Principum filiorum suae Maiestatis ex Regno Hispaniae ad propinquiora loca Regni Huugariae, summae Congratulantur, depraecanturque Deum optimum maximum, dignetur suas Maiestates felicissime in Regnum Hungariae redire facere. Quo reditus Suarum Maiestatum in Hungariam ad Tranquilitatem tocius Christianae Reipublicae felicemque permansionem Patriae Hungariae fidelium subditorum fieri possit et valeat.

Item, iuxta clemens Mandatum suae Sacrae Maiestatis, ad dominos Banos factum, ut memoratis universis praescriptis fidelibus subditis Regnicolis huius Regni Maiestatis suae Caesareae et Regiae, Modus et ordo inveniretur, quo Victualibus non solum ad repentinum hostis motum aliquem, sed ut Milites Praesidiarii in hac vndique apparente annonae paenuria, habeant vnde vivant, melius aliquanto prouideatur, quo certum aliquem numerum frumenti benevolenter ipsi Regnicolae praestent et in medium conferant, ut pro tollerabili pretio Militibus Praesidiariis, in finitimus locis degentibus, concedant, prout haec uberior et fusi praeferati fideles Regnicolae ex relationibus Nuntiorum Generosi et Magnifici domini Viti ab Hallek, locumtenentis Generalis Capitaneatus Confiniorum huius Regni Sclavoniae et Consiliarii suae Maiestatis, intellexerunt fideles subdit